



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XXIIX. De hospitali domo & capella S. Aegidij in pede montis fundatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

S. Greg.

duè recolebat illam B. Gregorij sententiam : qui *compassionem non habet, vacuum Episcopi nomen tenet*. Vir eius namque sanctæ charitatis omnibus quidem fidelibus, sed maximè Christi congruit Sacerdotibus, qui & specialius ad hanc exsequendam in ipso sacratissimo suæ ordinationis mysterio commonentur. Cùm enim sacerdos consecratur oleo, per quod charitas intelligitur, manus eius liniuntur, oleum quæ manibus eius infunditur, vt per hoc vberiora misericordiæ & pietatis opera sibi facienda nouerit. Sed & cum veste sacrata ornatur & amicitur, ei consecrator dicit ; accipe vestem sacerdotalem, per quam charitas intelligitur ; vt ea se totum quasi tunica talari circumdatum & splendidissimè ornatum esse debere meminerit. Quam pius Otto singulari decore vestitus, vsque quaque eam propagare & felicissimis declarare satagebat operibus.

*De hospitali domo & Ecclesia S. Ægidij in pedemontis fundata.*

CAPVT XXVIII.

Ebb.

Collis mendacij.

**R**eram bulans itaq; suburbana in circuitu, aptumque locum perlustrans ad *Hospitale* construendum, venit ad collem sub monte S. Michaëlis positum, qui vulgò *Eugenbuhel*, id est, *mendacij collis*, vocabatur, duabus ex causis, siue eò, quòd non naturali terræ situ, sed potius de fundamētis murorum ciuitatis illis aggesta humus in altum excreuerat; siue pro eo, quòd crebra inibi conuenticula stultorum mendacis & vanitatibus plena agebantur. Hoc ergò spiritualis hic pater in melius commutare desiderans, qui ad hoc se constitutum nouerat, vt praua exstirparet, & bona quæque insereret; collem ipsum complanari, & Ecclesiam illic B. Ægidij iussit ædificari. Domicilia quoque pauperibus & peregrinis opportuna construi : vt vbi antea seruitus inimici pullulabat, ibi deinceps diuino cultu, & elemosynis pauperum, lucra animarum succrescerent.

Eo

Eo tempore Canonicus quidam Ecclesiæ S. Iacobi, VVichodo nomine, orationis causa beatum visitans Aegidium, reliquias magnificas, id est, pollicem eius comparauit; quæ pius Otto ab eodem sagaciter impetratum altario S. Aegidij cum aliis multiplicibus reliquiis inclusit, Ecclesiamque solenniter dedicans, memoriam eius per omnem locum celebriorem, quam eatenus fuisset, instituit. Hospitalè autem cum eadem Ecclesia primum quidem Gumponi Decano S. Iacobi commisit; postea verò, mediante beatæ memoriæ VVolfraimo, decimo huius loci Abbate, sancto Michaëli cum omnibus pertinentiis suis contradidit. De quo amabili & reuerendissimo huius loci Abbate dignum est aliqua literis mandare. quia in ingressu eius, Domino largam suæ benedictionis copiam infundente, locus hîc iam panè in omni religione collapsus, noua & mira interioris disciplinæ, & exterioris profectus sumpsit incrementa.

*De Wolframo Abbate per S. Ottonem  
instituto.*

CAPVT XXIX.

**H**ic enim VVolfraimus ex prouincia Bauarorum, nobili & religiosa ortus parentela, Babebergensi Ecclesiæ in schola Christi educandus sub ordine canonico traditus; ubi diuinâ præuentus gratiâ, in tenerâ adhuc ætate, sitibundo pectore hauriebat fluenta doctrinâ, ac de die in diem sapientiæ maturitate & elegantiam morum proficiens inter suos Collegas pulcherrimus processit. Siquidem paternæ iustitiæ fortitudo, & maternæ pietatis imago euidentius in eo apparebat iuxta Apostoli dictum:

*Quod si radix sancta, & rami.*

Et hic quidem sub venerabili Ruperto, septimo Babebergensi Episcopo: postmodum autem cum annos viriles attigisset ætatis, à pio Ottone primicerius factus, auctorabili sa-

b gacitate,

*Abba.  
VVolfraimus  
Abbas S. Michaelis ex Ba-  
uaria oriundus.*

*Rom. II.*